

Weissenburgk 44, 40, 44, 40. Thracia à septentrione habet Bulgariam & Rasciam, ab occasu Seruiam & Bosphinam, à meridie mare Egeum, ab ortu Bosporum thracium, ac Propontidem. Hæc modo Græcia dicta, eius ci. Constantinopolis, à Ptole. Byzantium 54, 45, 43, 5.

De Macedonia, Epiro, Achaia, & Peloponeso.

CAPVT IX.



Macedonia, limites habet a septentrione Mysiam superiorem, & Thraciam, ab occasu, Hadriaticum mare, à meridie, Epirum, & Achaia, ab ortu, Egeum pelagus. Ea tota natio, modo Græcia est, rebus gestis, & regum nobilitate præclarissima, eius ci. Philippi 50. 42, 30. Salonica, quæ & Thessalonica, habet gra. 49, 0. 41, 0.

Epirus a septentrione terminatur Macedonia, ab occasu & meridie mari Ionio siue Hadriatico, ab ortu Achaia, ci. habet Nicopolim, olim Ambracia dicta sub gra. 47. 30, 38, 30. Achaia ab occasu habet Epirum, a septentrione Macedonia, ab ortu mare Egeum, a meridie Hadriaticum & Creticum pelagus ci. eius Athenis 52, 45. 37, 20. Megaris 52, 15, 37, 30. Peloponesus, hodie Morea dicitur, limites habet à septentrione Corinthiacum sinum, Isthmum, & Creticum pelagus, ab occasu atq; meridie, Hadriaticum pelagus, ab ortu Creticum mare. Hæc toto orbe peninsula maxime celebris habetur, habet ciuitates Corinthum 51, 10, 37, 30. Modonam 48, 30. 26, 0.

De Insulis Europæ.

CAPVT X.



Dvæ Insulæ Baleares olim dictæ, minor & maior, quæ hodie etiam inde Minorica ac Maiorica uocantur, Hispaniæ adiacent, Maiorica quidem in gradibus 17, 40, 38, 30. Minorica uero sub gra. 20, 0, 3, 90. Gadir quæ modo Gades est Insula, ibidem in Oceano extremo posita, sub grad. 5, 30, 34, 0. Cyrenos, quæ & Corsica Insula maris mediterranei, habet ciuitates Nebiam, quæ à Ptolemæo Cerium est, sub grad. 31, 0, 40, 40. Sardinia, uetus nomen seruans, Insula maris etiam mediterranei, habet præcipuam ci. Sardos, quæ Ptolemæus Turris biffonis uidetur, 30, 20, 38, 50. Sicilia triquetra Insula, Italiæ olim coniuncta. In hac est mons Aetna incendio memorabilis, habet ci. Syracusas sub grad. 37, 20. 35, 30. Eubœa, nunc Nigropont Insula, Achaia adiacet, sub grad. 54, 0, 38, 0. Creta insula hodie Candia dicta, multum celebris sita sub grad. 55, 0, 35, 20. Cyclades insulæ circa Delum in circulo positæ sub grad. 56, 10, 37, 20. Sporades insulæ ibidem undiq; per mare dispersæ, de his Plinius libro quarto capite 12 copiosissime.

24 ij

Africa

